



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. III. Fundamentum à ratione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

ralis, quippe quæ moralis certitudinis limites non excedit. Ergo debet esse motio physica, quæ sola infallibiliter certitudine metaphysicâ infert actum liberum.

## §. III.

*Fundamentum à ratione.*

12. **P**robatur ulterius ratione: DEUS tanquam causa prima, ens primum, & primum liberum debet exercere causalitatem physicam tam respectu actuum liberorum, quam necessariorum; atqui causalitas physica est prædicta determinatio. Ergo. Major patet: quia non minus actus liber, etiam quoad ipsam libertatem, & omnis determinatio causæ liberæ est quidam effectus creatus, ab alio, & physicè dependens à DEO ut causâ primâ, quàm actus necessarius. Causa etiam, quantò effacior, tantò magis se extendit ad omnes reales differentias sui effectus; cum ergo causa prima sit infinita efficaciæ etiam in ordine physico: physica quoque causalitas ipsius sese debet extendere ad omnem cujuslibet entis perfectionem ac differentiam, qualis differentia & perfectio est libertas.
13. Minor probatur: Motio physica, naturâ prior quam actus liber, est ipsamet prædeterminatio: sed causalitas physica causæ primæ & primi moventis, est motio physica naturâ prior quàm actus liber; quia ratio hujus causalitatis & motionis actus liber velut effectus causæ primæ subordinatur, & ab illâ dependet. Quis autem Philosophorum unquam dubitavit, causam formaliter in ratione causæ esse priorem; effectum verò, propter dependentiam ac subordinationem quam habet ad suam causam, esse posteriorem naturâ quàm sua causa?
14. Adde, quòd sublatâ physicâ prædeterminatione rueret certitudo divinæ prædestinationis (prout in Tract. de DEO expendimus) & efficaciâ gratiæ divinæ, de qua alio loco & tempore. Nunc ad præcludendas Adversariorum responsiones sint sequentia.

## §. IV.

*Corollaria.*

15. **C**olliges primò: Dependentiâ causæ secundæ in causando à causa prima non salvari per prioritatem dignitatis, universalitatis, & quoad subsistendi consequentiam. Nam causalitas causæ est prior prioritatem naturæ quàm suus effectus: atqui causa secunda in esse causæ secundæ actu causantis, & causa libera, secundum ipsam suam liberam determinationem & exercitium libertatis, est effectus causæ primæ, ens creatum & ab alio, movens motum &c. Ergo causalitas causæ primæ est ipsâ quâ tali prior secundum prioritatem naturæ.

Præterea: quia inter DEUM & creaturam reperitur subordinatio in perfectione & dignitate, ideo inter illos reperitur ordo prioritatis quoad dignitatem: ergo, quia inter illos reperitur subordinatio quoad causalitatem, etiam dabitur ordo prioritatis quoad causalitatem: an enim subordinatio sine ordine, ordo poterit esse sine prioritatem?

Rursus: Non alio ex capite inter divinas personas non datur prius aut posterius, & sola admittitur prioritas originis, quàm quia nulla datur unius erga alteram causalitas & dependentia; ita ut si per impossibile una foret causa alterius, hoc ipso una esset physica causalitate prior, & altera posterior: ergo cum omnis creatura essentialiter dependeat à DEO tanquam causâ primâ eiusque causalitate, eo ipso necesse est, quòd causalitas DEI exerceat prioritatem physicam in causando respectu omnis creaturæ.

*Colliges secundò:* Actus liberi dependentiam à DEO non salvari per hoc, quòd DEUS per decretum in actu primo applicet suam omnipotentiam causæ creatæ, sive quòd habeat decretum concurrenti ad actum liberum, ad quem seipsam voluntas creata determinaverit. Ratio est: quòd vi istius decreti causa secunda formaliter in ratione causæ secundæ & actu operantis non intelligitur dependere à DEO: sed est necessarium etiam in ratione causæ formaliter & actu operantis, sive ratione causalitatis in actu secundæ, per quam formaliter constituitur in esse causæ à DEO ejusque causalitate dependeat: ergo per illud decretum non sufficeret salvari actus liberi dependentia à DEO.

*Colliges tertio:* Prædeterminationem non habere per modum qualitatis & principii permanentis, sed esse quandam realem motionem per modum qualitatis fluentis, habentis esse incompletum, quæ in voluntate subjective recipitur. Ideoque à S. D. appellari solet *intentio*, quo nomine etiam appellat virtutem seu motionem ab agente principali instrumento impressam. Ratio est: quòd prædeterminatio est applicatio agentis ad actum, pro objecto ac termino respectens ipsum actum transeuntem, & se tenens ex parte actus secundi, adeoque transit cum ipso actu.

*Colliges quartò:* Hanc Thomistarum doctrinam de prædeterminationibus toto celo dissentire à sententiâ & errore tum Lutheri, tum Calvini. Nam primò Lutherus vult liberum arbitrium se solummodò habere passivè. *Secundò* Calvinus admittit quidem aliquam ipsius activitatem, vult tamen illud solummodò spontaneè, non etiam liberè consentire. *Ac tertio* negat voluntatem prædeterminatam ad consentium posse dissentire, aut esse in potestate hominis obtemperare, vel refragari: dum contra Thomistæ docent & efficaciter probant primò, etiam hæc prædeterminatione ipsam hominis voluntatem seipsam liberè determinare ad actum proprium, eumque cum formali indifferentia producere: cum sit ipsamet applicatio, quæ voluntas effectivè excitatur ad actum, juxta modum suæ naturæ convenientem: unde *secundò*, quia causa non auferit sed infert suum effectum, hæc prædeterminatio non solum creatam libertatem nequaquam offendit, sed insuper causat, ac *tertiò* relinquit in voluntate ad consentium prædeterminatâ potentiam ad non consentiendum, seu posse dissentire, non quidem in sensu composito, sed diviso. Cujus quidem celeberrimi distinctionis sensus non ex adversantium partiali & subinde minus æquâ relatione,